

Legalem hanc et vere Maternam Maiestatis Vestrae Sacratissimae providentiam, velut caeteroquin ad effectum Regni Legum circa eorum, quae ad Sacram Regni Hungariae Coronam juraue Regni pertinent, reincorporanda Legibus Regni constituta sunt cum effectum benigne et materno praesusceptam de genu humillime veneramur et Maiestati Vestrae Sacratissimae Dominae nostrae Clementissimae immortales et in animis nostris nunquam intermoriturus humillimas agimus gratias, devotis Animis et homagialibus votis nostris id exoptantes; ut altissime intenta susceptaque Commerci promotio ex parte quoque nostra pro omni virium possibilitate homagialiter secundanda, effectus quam optatissimos producat; firmissima in reliquo spe tenemur, quod Maiestas Vestra Sacratissima pro tenore Regni Legum ab omnibus illegabilibus exactionibus Regnicolas in antelatis Commerciorum locis immunes conservari facere clementissime dignabitur.

Verum quia parte ab una praenotatae Maritimae partes, Bona quippe Marittima Frangepano-Zrinyana jam in exordio hic ut primum videlicet in Successionem et Regii Majestatis Vestrae Sacratissimae Fiscus manus devoluta erant, per Articulum 71. 1681, tractu vero temporis per 44. 1715, 94. 1723 ac 52. 1741 articulares Diaetales Conclusiones, communibus legibus, oneribus et Regni jurisdictioni subjecta, nunc, dum Regno incorporantur, maxima sui in parte ab ipsa Regni et Legum jurisdictione abstrahi et privative cuipiam Guberniali Fluminensi directioni reservari ac subijci; parte vero ab altera horum intuitu Regno incorporatorum aequivalens ex altera actuali Regni jurisdictione a nobis praestandum ex tenoribus ejusdem benigni rescripti intelligimus: non possumus conceptum exinde animi sensum non explicare; ac intuitu quidem Legibus Regni et Diplomaticis Sacris assecurationibus, in articulis etiam 3. 1715 et 8. 1741 palam expressis, praecautae imo Nobis ignotae Gubernialis administrationis, occurreret illud, quod partes et districtus ad Sacram Regni Hungariae Coronam, adeoque jura Regni spectantes, et quocumque tempore incorporandae, non ad normam aliarum Provinciarum, sed propriis ipsius Regni Hungariae Diaetaliter conclusis Legibus subsint et gubernandae veniant; consequenter, dum ad effectum conditarum eatenus Legum Regno et ejus jurisdictioni reapplicantur, nulla in iis Gubernatoris Fluminensis, velut caeteroquin ab universali Regni Legum systemate separata et Tergestini Gubernatoris Activitati conformata, jurisdictio et administratio seu etiam dependentia sustineri possit; tanto quidem evidentius, quod administratio jurisdictioque talis Gubernialis communi cum Majestate Vestra Sacratissima Statuum et Ordinum Regni Hungariae consensu, adeoque Diaetali constitutione introducta stabilitaque non sit. Qua de causa etiam Majestatem Vestram Sacratissimam de genu humillimis precibus exoramus, ut neo-incorporatae partes, velut ad Sacram Regni Coronam et Regni jura pertinentes non Guberniali Fluminensi aut alteri cuicunque directioni, sed ordinariae in sensu et intellectu Legum Regni administrationi subiaceant subordinenturque; compellatio porro earundem Marimarum partium sub nomine Districtus Fluminensis recens introducta, pari ratione ac Litoralis austriaci nomenclatio Articulo 30. 1765 Diaetae praecautae, juribus et jurisdictioni Regni non praejudicet. Novi itaque Comitatus sub nomine Szeverinensis erectionem quod attinet: non diffitemur equidem in ultimis Regni Hungariae Comitibus fuisse nostrum demissum postulatum, ut cum Officiolatus in partibus illis Bonis et populo praefectus, in apertum conditarum Regni Legum vilipendium et benignarum Majestatis Vestrae Sacratissimae etiam resolutionum sub-